

CANCELL:  
MARTIS B:  
. 1.7 17:.



oo Da

27

A. & Ω.

APHORISMOS ORATORIOS

EX

**PATHOLOGIA**

**ESAIANA**

GENERALES

PERMISSU INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ LIPSIENSIS

*d. XXI. Maji Anni MDCCXI.*

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTENT

*P R Æ S E S*

**M. CHRISTIANUS HENRICUS  
SCHREY**

ET

*RESPONDENS*

**JOHANNES GOTTOFREDUS HERING,**

Dresdenſes , SS. Theologiæ Studioſi.

---

*L I P S I Æ,*

Typis BRANDENBURGERIANIS.



VIRIS  
MAGNIFICIS NOBILISSIMIS AM-  
PLISSIMIS CONSULTISSIMIS  
ATQUE PRUDENTISSIMIS  
DOMINIS  
CONSULIBUS  
SYNDICO

CÆTERISQUE  
SENATORII ORDINIS  
INCLUTÆ REIPUBLICÆ  
DRESDENSIS MEM-  
BRIS DIGNISSIMIS  
PATRONIS SUI ET FAUTORIBUS  
PERENNĪ VENERATIONE

AC STUDIO COLLENDIS,

HOC QVICQVĪD EST OPELLÆ

CONSECRAT

PRÆSES.



J. N. J.

PRÆFATIO.



*N*aturam affectionum explicare rem laboris plurimi, successus incerti esse, Heiderus pronunciat. Si enim tot, quæ in hoc moventur negotio, contras perpendis, parum aberit, quin cum Christiano Thomasio, in Praxi Philosophiæ moralis breviter eas recensente, Herculeo opus esse labore, si quis in tanta sententiarum diversitate penetrare velit, judices. Nihilominus tamen, si saltem ille perpendatur usus, quem, missis intricatioribus Philosophorum quæstionibus, eorum cognitio Oratori profano & Sacro, imo etiam singulariter Execretæ præstare potest, operam certe oleumque non perdit, qui isthunc laborem non plane negligit. Non est ignotum Dannhaueri votum his declaratum verbis: *Utinam aliquis Oraculis divino afflatu dictatis hanc operam nobis daret, & accurato studio nobis repræsentaret singulorum Scriptorum Sacrorum indolem, ingenium, fata, mores, affectus.* Nec abest a veritate τῆ Μεγαλόδοξοῦ nostri Lutheri effatum, eum, qui affectus in Scriptura contentos accurate eruere sciat, plus sæpe sua invenire posse opera, quam multi tribuere possint Commentarii, dicentis. Non solum autem in Oraculorum Sacrorum Interpretatione artificium istud multum valet, ad quod acquirendum breves, utinam exemplis Scripturæ paulo prolixius illustratas, suppeditavit regulas Augustus Hermann. Franckius; sed quantum Orator Sacrer quoque ad permovendos fidei suæ creditorum animos iis valeat, cum in habendis concionibus, tum privatim in erigendis miseria affectis, objurgandis pejus viventibus,

Phil. moral. P. II. p. 326.

c. II. §. 5.

Herm. Sacr. Sect. II. Art. I. P. 3. P. 348.

in Manuduct. ad Lectio. Scripturæ S. Additam, I.



bus, excitandisque iis ad sequendam virtutis viam, partim suffragia in hac arte exercitatorum, partim quoque exempla eorum luculenter ostendunt. Inde quoque factum est, ut B. Hülsemanus peculiari Præfatione studiosos ad oratoriam studium magno animi ardore adhortaretur. Utatur igitur SS. Theologia hac quoque famula, gloriatur Sancta Ecclesiam domus his quasi Ægypti spoliis. Possunt huic fini non parum prodesse, quæ vel jam olim Aristoteles, vel Quintilianus de affectuum doctrina alique tradiderunt. Non quoque spernenda sunt, quæ Valentinus Thilo in Pathologia Oratoriâ studiose congeffit, sed cum ubivis profanorum Auctorum exemplis tantum illustrari suggesta cernamus, nos, quod a multis sæpius monetur, optimum dicendi magistrum Spiritum S. præeuntem jam sequamur. Quodsi Esaiam ejusque vel aliquot tantum percurras Capita, cum ita animis quasi mortali-um imperare deprehendes, ut non solum ejusmodi quid in Scriptore vulgari obvium non habeas, sed nec inter Sacros Auctores potestremas ei assignaturus sis partes. Sensit divinam hanc ejus dicendi vim Ambrosius, ab Augustino recens converso consultus, qui potissimum e Sacris libris sint legendi, dum aliquoties respondit: lege Esaiam. Nostri autem nunc non est, vastum componere volumin, docentisve partes nobis sumere, quamvis jam olim Socrates, cum vix quinque minas in re haberet, Critobulum tamen artem ditescendi doceret, cum hic discendiavidos nos esse neutiquam dissimulemus. Specimen tamen doctrinæ generalioris hoc modo tractandæ nobis edendum erat. Specialem interim tractationem, quæ utique singularem poscit operam, si vel prudentiorum subministrata consilia, vel tempus, vel occasio, illud suaserint, nos declinaturos non esse fatemur. Siftimus igitur Tibi, L. B., *Aphorismos generales Oratorios, ita tamen, ut, quærem in artificio Pathologico adjuvant & promonent, Capite I. quæ eam intimius concernunt, Cap. II. & quæ tandem eandem feliciter perficiunt, Cap. III. strictissimo tradamus.*

Præfixa est  
ipsum Me-  
thodo con-  
cionandi.

Rhetoric. L.  
II. Institut.  
Orator. L. VI.

Augustin. L.  
IX. Confess.  
c. 5.

adducit hoc,  
ut se nomi-  
nare voluit  
Æschacius  
Major Do-  
breboranus,  
translator  
Scrutini in-  
geniorum in  
Præfat.

## CAPUT I.

## §. I.

**C**um sint diversa hominum studia, ita, ut alius, quæ fastuosa & sublimia, alius, quæ grata, jucunda, amœna, hic, quæ pretiosa sunt, mente sua æstimet, diversæ hæc animorum inclinationes non solum probe sunt observandæ, ab eo, qui vim eis inferre cupit; sed exquirendum etiam, quinam affectus ab hisce propensionibus exoriri communiter soleant. Certe, qui delicatius vivere cupit, illum ad misericordiam, tristitiam metumque præ aliis affectibus aptissimum inventies, qui autem ad honorem omnia refert, eum ira & vehementiori & magis subita commoveri, anxie vero inhiantem opibus metu odioque facillime impleri posse, plus centies deprehendes. His omnibus autem facilius mentes concutiuntur, si res, quæ affectus aut sedationem aut excitationem postulant, ita proponantur, ut eas propensioni vel convenire & prodesse, vel contrariari & obesse pateat. Inde Abbas Bretevillius in Libro Gallice conscripto de eloquentia cathedraria & forensi L. IV. speciale Caput de noscendis auditorum inclinationibus inserere voluit.

§. II. Quin imo cum propellant nos diversæ passiones earumque objecta ad affectus quosdam præcipuos, qui rursus alios quodam quasi vinculo sibi nexos secum rapiunt, inde etiam passio eum dominans & superior, affectusq; pro diversitate circumstantiarum ibi regnans, tum passiones quoq; in inferiori sitæ gradu, cognatique affectus probe attendi debent. Inspicienti insuper accuratius humanas mentes facile liquere potest, sub diverso respectu in una eademque re passionem affectumque principalem sæpe etiam contrarium simul involvere, quod in ira observat Lælius: metus scilicet ibi est ob injuriam illatam, itemque tristitia, & odium ejus, qui attulit, spes quoque eam amovendi & ulciscendi, nec raro gaudium, si opportuna media adesse deprehendantur. Hæc omnia accuratiori opera sunt ponderanda.

§. III. Quanquam autem ita hæc mentium humanarum propensiones in genere humano distributæ deprehendantur, ut nulla indicari gens possit, ubi non & honoris, & opum, & voluptatis

vid. Thom. in Prax. philol. moral. c. IX. & X.

Hic liber excerptus est in Act. Erud. Lips. ad am. 1690. mens. April. de la chambre de arte cognoscendi homines L. II. c. 1.

Car. t. f. de passion. P. III. Art. 165,

de noscendis animi affectibus C. de ira,

avidis deprehendantur, si tamen majorem contemplari numerum licet, indeque judicium ferre, certe totæ gentes & nationes ad hanc vel illam propensionem magis dispositæ videntur, adeo, ut quosdam populos gloriæ maxime inhiantes, quale ingenium Romanis, alios feroces acresque, quale Italis cum Isidoro adscribit Scipio Claramontius, reperiamus. Satius autem est ad obtinendum finem, quem præfixum sibi Orator habet, ex observatione præsentis nationum mores eruere, quo etiam disciplina vitæque consuetudo publica est referenda, quam e spissiori causarum physicarum collatione judicium longius elicere, cum sic ad singula loca descendendum & particulatim solum situsque regionis examinandus foret, si inde magis tuto quid colligi debeat, quod monet quoque jam citatus Claramontius.

§. IV. Porro, si a totis gentibus nos ad humana vertamus individua, earumque indagemus propensiones, multa nobis occurrent, quæ humanarum mentium inclinationes varie inflectere movereque possunt. Primum enim pervulgatum est illud, cum singuli homines non unum idemque possideant temperamentum, sed cum genera temperamentorum variis sint mixta gradibus, inde quoque diversas variasque hominum provenire passiones, diversasque earum mixturas, ita, ut alius gradu supremo ambitionem, inferiori voluptatem avaritiamque, alius voluptatem vel avaritiam dominantem ceterasque, subjectas habeat cupiditates. Et hi quidem gradus rursus multis possunt variari modis, ita, ut passiones inferiores vel sint in uno eodemque gradu, & nunc unâ superiori proxime accedant, nunc unâ procul recedant, vel altera eam magis attingat, altera ab ea magis distet, quæ omnia hic suffus ostendere, ob præsentis materiæ scopum nec licet, nec liber. Quamvis autem non sit dicendum temperamenta ita necessitare quasi animos propensionesque hominum, ut omnium maxime Medici opera ad vitia inde provenientia curanda adhiberi debeat, cujus Galenum accusat Huarto, eumque ob id refellit, ea tamen voluntatem nostram fortius disponere, incitare & inclinare, in seipso quisque compertum habere potest.

§. V. Deinde multa quoque obveniunt alia, quæ propensionum diversitatem adjuvare non parum solent, quippe cum partim ratione ætatis eo non ita fortiter propendeant pueri, quo quidem

de conjec-  
tandis cu-  
juscunque  
moribus P.  
II. c. 6.  
Conf. etiam  
Neuhuf. in  
Thear. in-  
gen. P. I. c.  
13. 14. 15.  
L. I. c. 8.

Huart. in  
Scrutin. in-  
gen. c. 4. & c.  
Joh. Wolff.  
Triersfurße  
Fragen  
von den  
Menschli-  
chen Nei-  
gungen  
passim. Optia  
nobis quo  
que ex parte  
fecit Fautor  
& quondam  
Commenta-  
lis Honora-  
tissimus M.  
Gottfr. Poly-  
carp. Mülle-  
rus in Erudi-  
tiss. sua de  
tempera-



dem senes se vetere solent, quamvis id quoque sit obvium, multos sapere non ætate, sed moribus, alios vero moribus, non ætate pueros aut juvenes esse, ita, ut e. g. pueritia in quibusdam citius desinat, in quibusdam longius protendatur, id quod Huart. quoque observavit; partim etiam ratione sexus, educationis, conversationis, status & fortunæ non uno modo appetitus nostri varientur, quæ omnia accuratori examine sunt excutienda ab eo, qui affectuum armis telisque pugnare cupit, quem in finem brevissimis etiam hæc præmonenda duximus.

§. VI. Hoc saltem huic Capiti coronidis quasi loco inferemus: Oratorem scilicet, si affectus sermone sint occupandi, ita omnia temperare debere, ut nec nimis brevitas, nec odiosæ prolixitatis accusari jure possit: Si enim nimium loquax erit, auditorum attentio defatigabitur, cum tenera res sit auditus, Luthero dicente, & hoc modo, quod infra doccimus, dominari affectibus minus poterimus. Quod si brevitate peccetur, quomodo argumentorum pondera, prout conducit, ad animos expugnandos, satis excutientur? Declinat hic ad excessum allegatus antea Abbas Bretevillius, qui serio optat, ut Ecclesiæ Ministris, seu olim Atheniensibus in Areopago Oratoribus, exordia ne concedantur. Verum enim vero cum non sit genuinus & unicus Exordiorum scopus, quem ille quidem producit, eamque ob causam ea rejicit, conciliatio æstimationis & benevolentiae in auditoribus, sed vel accessio ardoris ac preces fundendas, vel attentionis insinuata tacite materię tractandæ dignitate, hinc si hi fines recte observentur, & legitima totius Orationis quasi proportio habeatur, non solum admitti, sed etiam suaderi & laudari Exordia debent, quamvis jam olim Chrysostomi ætate querelas ob id fuisse institutas adductis locis jam nominatus Autor moneat. Hoc enim antiquum est, usum bonum legitimumque ob abusum non posse tolli.

## CAPUT II.

**P**otissimum Oratoris opus, quod quidem affectuum negotio est impendendum, consistere in eo, ut, si strigeant, vel plane absint, in animis excitentur, si vero adsint, qui non adesse

mentor. pro-  
pensionumgs  
humanarum  
connexione  
Disp. hic ha-  
bit. 1708.  
in Scrut. In-  
gen. c. 4. P.  
108.  
Barcl. Icon.  
anim. c. 1. t.  
tot. Huar.  
Scrut. ing. c.  
III, & V.  
Neu h. u. f.  
Theatr. In-  
gen. L. I. c. 6.  
Chr. Thomaf.  
Prax. Phil.  
mor. c. XII.  
in Scrut. ing.  
c. III. p. 89.  
in sermon.  
Convival.

L. II. Elcqv.  
Cathedr. &  
forens.

debeat, sedentur deprimanturq; recte docetur. Vestigia igitur, quæ hic sequamur, Esaias in sequentibus nobis præbeat Aphorismis;

## APHOR. I.

Vim illam vehementiorem, qua in affectus quoddam quasi imperium Propheta exercet, non phaleratis verborum lenociniis, sed virtute altiori obtinet.

IPet. II. 22.

Non solum enim hic ἅγιος θεὸς ἀνθρώπος ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενος ἐλάλησεν, sed etiam ipse Summus Oratorum Doctor, Spiritus S., sicuti in aliis Sacrorum Autorum Scriptis, ita & in Vaticinio Esaiano summa sermonis majestate loquitur. Indicat hoc ipse Propheta crebriori formulæ illius מְרַמֵּר מְרַמֵּר repetitione, quin cum cælos & terram ad audiendum advocasset, fortius hoc deinde fulmen addit. Quoniam Jehovah, non vanus homo, non tyrannus, non Rex homo, sed ipse Deus, Dominantium Dominus loquitur. Divina igitur ope adjunctus loqui debet, qui vehementius fortiusque loqui vult, & quo magis propitium optimum hunc æterni Numinis Spiritum habemus, eo feliciter quoque alios movemus, uti recte observat Valentinus Thilo.

in Pathol. orator. C. II. general.

## APHOR. II.

Nunquam de capiendis Auditorum affectibus Esaias sollicitus est, quin non & ipse affectu occupatus verba faciat.

Pater hoc per totum vaticinium ex ipsa Orationis structura, ut attentius id perlegenti vel lætitia vel tristitia, ira aut alius affectus, quo ipse Propheta flagrat, facillime pateat, cujusmodi loca quædam in Exegesi Aphor. sequ. III., qui cum hoc conferri debet, adducentur. Hoc etenim Oratori maxime est observandum, ut, si affectibus potens esse cupit, Orationem insigni aliquo animi motu & affectu occupatus scribat. Quod si non fiat, mortua erit, notante id Bohuslao Balbino. Sicuti enim Scriptoris affectum non facile exhauriet, qui non ipse ejusmodi in se sentit affectum, ( Frustra

in Quæstis Oratoriis P. I. Quæst. 24. p. 82.

stra enim, inquit Bernhardus, ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit, quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus; quomodo enim Græce loquentem non intelligit, qui Græce non novit, sic lingua amoris ei, qui non amat, Barbara erit. Ita etiam affectum in Auditore Orator non facile obtinebit, frigideque illi loquetur, si non ipse quoque affectu motus verba faciat. Assumendus igitur est altiori meditatione, quem in aliis accendere cupimus, affectus, imaginatioque in auxilium vocanda, & res ita nobis in animo proponenda est, ac si ea nostra sit, nosque quam maxime tangat. Hoc si obtineris, eodem modo, quo in Te provenit iste animi motus, eundem quoque in aliis facilius producere poteris. Sic ipse tuus affectus suggeret, quibus vix meliora in Rhetorum præceptis invenies, *sepractice explorator cognitosque singulos habebis affectus*, quod, ut a nobis fiat, sedulo inculcat Frankius.

in Manud. ad  
Lect. Script.  
S. Addit. I.

## APHOR. III.

Motus affectus internos, sequentesque inde certas actiones externas cum signis propriis diligenter observatas, prudenter manifestat

§. I. Facile hic Aphorismus ex præcedenti gignitur. Nam cum in affectu ab objecto ejus, quod in intellectu repræsentatum erat, voluntas ita fortiter afficiatur, ut rem bonam aut malam judicatam vehementer appetere vel averfari deprehendatur, hinc validus hic appetitus, aut fortior rei abominatio, quam ipsa in se sentit anima, ita eam intimius penetrat, ut & per externas quasdam actiones luculenter sæpius erumpat, ita e.g. qui ira ardentiori flagrat, illata crepitat mala, sanguinem, vulnera cædesque spirat, imo volocissime ad arripienda furoris arma rapitur, vid. iratum egregie depictum a Seneca & a Basilio M. Ejusmodi quid in ceteris quoque affectibus facile est deprehendere.

§. II. Hæc autem Orator, non prout obveniunt, usurpet, sed iudicio prudenti cautoque, quæ inde ad exponendum affectum suum excitandumque alienum faciant, sapientius perpendat. *Habet*

Sen. de Ira  
præcip. c. I.  
Bas. in Hom.  
ἐν λαι-  
σῶς dicta.

B

hic,

hic, in quo Prophetam gnaviter imitari potest. Audiverat iste insigniorem Dei Patris de Christo Filio suo concionem, & cognoverat, quanta sit ejus majestas, quanta ejus beneficia, hinc teneri non potest, quin non solum in aliis intimiorem exciter lætitiã sed & ipse summo gestiat gaudio, inque media exclamet concione, ac in carmen gratulatorium, uti Brentius in Commentar. loquitur, erumpat. Hoc enim solenne est eis, qui summo exultant gaudio, ut etiam ad similes affectus excitent alios, quod & alii Prophetæ observant; interdum etiam, quod & in loco alleg. fit, creaturas inanimatas ad similem affectum movere velle videntur, quo pertinet etiam locus Esai. XLIX. tibi cælum, terra, montes ad jubila excitantur. Sæpius inde quoque Prophetæ in cantiones subdito erumpunt, aut interdum in preces, quas affectus ardens protrudit, animi desideria resolvunt. Et hinc in antea adducti Evangelici

C. XLII, 10.  
seqq.

C. LXVI, 10.  
& XLVIII,  
20.

v. 13. adde

Esai XLIV,

23. vid. Carp-

zov. in Esai

angelisten

Altes Te-

stam. p. II.

C o n c. ad

Domin Qua-

simodogen.

p. 74.

vid. Esai. XII.

Esai. xxxiii,

2. seqq.

Comment. in

h. 1.

Comment. in

Pf. xxxiii,

3.

Esai. XLII, 13.

auditis, animoque stupens ovansque, Jehovam inducit **בְּבָרֶךְ** & **אֱלֹהֵי מִלְחָמָה** tanquam fortem & potentem Imperatorem bellificum, omnes vires suas colligentem, hostesque superantem. Ceterum notes hic eundem plane motum Esaiæ sensisse quoque Davidem, qui similia canit Psalm. XCVI. hoc tantum discrimine observato, ut, quæ hic brevius dicuntur, Psalter ibi quasi toto effuso pectore profixius loquatur. Denique observes, cum ea, qualia jam in Propheta notata sunt, gestum vultumque ipsi rei prolata convenientem requirant, eundem quoque Prophetæ in ejusmodi locis attribuendum esse, quod ostenderur inferius Cap. III. Aphor. IV.

APHOR.

## APHOR. IV.

Affectus ad rem præsentem pertinentes non solum prudenter eligit, sed in ordinandis iisdem etiam, si scopus non contrarietur, affectus gratiores præmittit, primariumque deinde fortius inculcat.

§. I. Iudicat de priori Abbas Bretevillius, arcanum omnis Eloq. Cath. & for. LIII. de elocut. p. 276. verioris eloquentiæ in eo consistere, ut sequamur naturam, & affectus materiæ accommodemus. Non enim omnes affectus omnino convenient negotio, cum sæpius alter alterum tollere possit, imo in iis etiam, qui adhiberi possent, selectio habenda est, ut qui magis ad rem faciunt, eo melius urgeri queant. Vides autem in eo solite occupatum esse Prophetam nostrum, cum primis Cap. XLVI. XLVII. XLVIII. LXIX. Susceperat ille, Ecclesiam Domini erudire, exhortari, solari, ne futura Babylonica Captivitate felicitate hostium successu offensa & de salute civili & sui ipsius quoque desperaret, nec, quod in hoc casu fieri solet, idolis victicium gentium adhereret. Prudenter igitur affectus, qui ad hanc requirebantur materiam, eligit, suaviterque ordinat. Viderat autem haud difficile primum, amorem & misericordiam divinam graviter esse delineandam, ne putaret populus Dei, Deum ipsi feraliter irasci, quod agit Cap. XLVI. sub eleganti Schemate curæ & affectus v. 1. materni, quod Lutherus ita vertit: Die ihr von mir im Leibe getragen iverdet/ und mir in der Mutter lieget/ licet ibi in uti Esai, xxx. II. potius paragogicum esse, & terminus a quo, cui subjicitur terminus ad quem, in versu sequenti וְעַד יְרֵשׁוּבָה, item וְעַד יְרֵשׁוּבָה, indicari hic videatur, quod annotat quoque Munsterus & Varenius, nec non Grotius in h. l. licet Hieronymus in Comment. istud וְעַד יְרֵשׁוּבָה pro pronomine affixo habeat, quasi sic in fontibus: Portati a me utero, i. e. a meo utero, quam interpretationem neminem improbatum esse, auguratur Forerius, cum tamen sic וְעַד יְרֵשׁוּבָה illud non particulæ וְעַד יְרֵשׁוּבָה sed sequenti voci addendum fuisset. T. IV. Critic. Sacr. Angl. in Elegantissime igitur sensum reddi-

Annotatis  
ad Esaiam,  
in Bibl. Sacr.  
Latin

reddidit Sebast. Schmidius ita: Portati ab utero, lati a vulva; & verba sequentia hoc modo: Ego idem, (sum) & usque ad canitiam ego portabo: Quod ita expresserunt LXX. Interpretes: *ὁ ἀπό μέρους ἐκ κοιλίας, ἐκ πατρίδος*, & rursus v. 4. *ἕως γήρας*. Quanquam enim Lutheri versio etiam hoc Schema pulchre urgeat, tamen & hæc fontibus magis conveniens, magisque rei vis exprimi videtur, cum sic affectus divinus affectui materno adhuc præferatur, quoniam & longius se extendat, & plus efficere valeat, notante id quoque Brentio in h. l. Rursus ne, cum inter Babylonios degerent, obli-  
 ti Numinis veri procumberent ad idola contemptus horum Deorum vanorum illis erat incutiendus, quod fit in eodem Cap. XLVI, Deinde, ut scirent quoque Babylonios, quorum impertunum imperium motum tristitiamque incutiebat, esse coercendos, egregie eorum cladem iramque Dei adversus gentem hanc Cap. XLVII, ob oculos ponit, ubi initium statim Capitis non levem Dei iram explanat, quam omnium maxime offendunt verba *דָּרַם מִפְּנֵי אֱלֹהִים* ubi non conveniunt omnes interpretum sententiæ; Lutherus: *Und soll mirs kein Mensch abbitten*: Vatablus *similitudinis intelligit cum aliis, ut sensus sit: Occurram, non sicut homo, sed sicut leo, ursus, &c. cujusmodi phrasis de Deo alias etiam adhibetur; cui sententiæ gemina est illa, si illud *דָּרַם* non substantive, sed adverbialiter accipias, reddasque: Occurram non humaniter. Sebastianus Schmidius cum Luthero ferme; Nec intercedere sinam hominem, cum vox *וְאֵם* hunc sensum quandoque obtineat, quomodo vocum statuenda esset hypallage, quod vult quoque Glasficus, S. V. T. us. *Quamcunque igitur sententiam arripias, licet Vatabli illa textui authenticò utique convenientior minusque torta videatur, summa tamen Dei ira in Babylonios inde cognoscitur. Et sic hactenus molliverat Propheta Judæorum animos, ne tamen promissa beneficia vel sibi vel idolis adscriberent, hinc Cap. XLVIII ipsi & inculpanði & aliter informandi erant. Omnium autem maxime prudentiæ laudem merentur Cap. XLIX, posita, nam, ut ne nimis, cum hæc ita prædicta essent, temporali felicitati alligarentur animi, spiritualem istam liberationem salutemque graviter depingit, lætitiæque summam accendit, ubi rursus tristitia Ecclesiæ lamentatione**

v. 5. f.

v. 2.

Th. en. III.  
Io.  
vid. Glaff.  
Grammat.  
Sacr. L. III.  
Tract. V.  
Cap. I.  
vid. Eduard.  
Leigh. Critic.  
S. V. T. us.  
sub hæc voce  
Gramm. S. L.  
IV Tr. 2.  
Observ. 21.

v. 4-8.

v. 9. f.

v. 14.

ne

ne anxia, & amor, misericordiaque divina sequentibus verbis descripta egregie immiscetur. Quamnam interim Ecclesia hic intelligenda sit, vid. fufius disputatum a Varenio.

Comment. in  
Esaï. P. III.  
Orat. IV. ad  
de Carpzov.

§. II. Non solum autem, qui affectus huc referendi, sed etiam quo ordine locandi sint, accuratius Propheta dispicit, quod in Aphorismo quoque fuit observatum, id quod in adducto antea loco ibidem animadvertere licet, ubi amor & misericordia divina, tanquam affectus gratissimi præmittuntur, animique monstrata Babyloniorum ruina prius reficiuntur capiunturque, quam se eriorri objurgatione iidem vulnerentur, quod & alibi animadvertere poteris.

## APHOR. V.

Id, versus quod affectus oriri debet, vivide delineat, eamque ob causam comparationes egregias immiscet, aut in exemplis rem luculentius depingit, interdumque, si status mutatio intercedat, eum studiose describit, & utrumque sibi apte opponit.

§. I. *In voluntate enim nostra non est situm, directe excitari vel auferri passionem, sed tantum indirecte, per representationem rerum, qua solent fungi passionibus, quas habere velumus, & qua contraria sunt* de passion.  
P. I. Art. 45.  
Gentzken.  
*is, quas volumus rejicere,* docente Cartesio, quamobrem in intellectu talis rei imago est producenda, quæ eam vel appetitu vel fuga dignam voluntati sistat, describendumque id propter fufus est, de passion.  
P. I. General. C. I.  
*affectus objectum secundum omnes circumstantias illas, quæ affectui excitando inservire possunt.* Dum igitur hoc fit, insimul §. 5.  
Adrian. Hee.  
objectum istud nobis in specie vel ut bonum vel ut malum repræ- reberd. Disp.  
sentandum est, quo voluntas iudicio hoc specialiori de rei bonitate Practic. XIII.  
aut malitia, quo velis, dirigi possit. Ejusmodi delineationibus §. 3.  
plane egregiis repletus abunde est codex Esaianus, cum primisque de la  
Chambre. l. c.  
hic legi meretur Cap. XIII. Cum enim, quod statim inscriptione L. I. c. 2.

Capitis vocibus **בְּבַר נֶשֶׁם** tanquam manifesto bellico indicatur, tristi futurorum imagine Babyloniorum animi essent conturbandi, ita hæc omnia ad vivum exprimuntur, ut, quæ antecesserunt hanc calamitatem, quæ in ea acciderunt, & quæ postmodum eventura erant, copiose proponantur. Inducitur igitur Deus ipse tanquam bellator, copias suas strenue convocans, bellique signa recensentur, quale est vexilli elevatio, convocatio turmarum bellicarum voce manique, quod prius Propheta indicat verbis: **וַיֵּץ, וַיִּשְׂפָּח שְׂרָפָה שְׂרָפָה** quod secundum Vulgati expositionem montem caliginosum denotare debet, cuius versionis Apologiam quasi Forerius suscipiens, *Vulgatus*, inquit, *tanquam esset* **שְׂרָפָה**, *forma feminina, vocat Babylonem montem obscurum, quasi ad nomen Babel alludens, propter confusionem & ignorantia tenebras vel imminetia mala,* aut, uti Grotius vult, ideo, quia verus Babylon in palustribus locis sita erat, unde ascendens vapor urbem obscurabat, quam recte, quam ad naturalem verborum structuram convenienter, penes prudentes iudicium esto. Certè mons est locus signi efferendi, non contra quem, uti in textu positum **וַיֵּץ** hic male vertitur, efferendum est, quod *συνάφεια* textus facile ostendit. Apparatu hoc bellico ita descripto nunc anxietas summa Babyloniorum, quod fieri solet in annuntiatione belli gravioris & periculosi, exponitur. Mox ipsa calamitas inferenda perspicue recitatur. Egregie hic summa trepidatio, infantum trucidatio, violenta mulierum stupratio hostiumque feroces & fere immanes actiones recensentur. Tandem quoque effectus tristis, devastatio lugubris, verbis gravissimis subjicitur.

v. 7. 8.

v. 9. 18.  
v. 14. 16.  
v. 17. 18.  
v. 19. seqq.  
conf. paria  
exempla  
Esa. XLVII.  
I. 5. LX. tot.  
c. V. 26. f.

§. 2. Insuper etiam, ut clarius percipiatur objectum, exempla & comparationes sunt immiscendæ, & illæ quidem, quæ ad movendum affectum maxime conducunt. Ostendendum etiam tale quid in objecto nostro inveniri, ut facilius moveantur animi.

Ant. leGrand  
Instit. Phil.  
los. p. IX.  
Art. VI. n. 7.  
v. 12. 13.  
v. 4. 5. conf.  
etiam Esa. V.  
29. 30. c. 1. 8.

Ita prodest e.g. ad producendum metum, & tristitiam cruenta prælia, truces hostes, loca horrida, sævas bestias introduxisset. Evolve Caput LXVI. ubi Deus curam suam curæ maternæ comparat Esa. XXXI. hostibus, se ut obvientem leonem piis ut avem pullos defendentem sinit, cujusmodi comparationibus abunde repletus est

Codex



Codex Esaianus, nec non exemplis interdum immixtis, uti Cap. v. 2.  
 LI. Mutatam quoque conditionem, quod supra monebatur, Pro. v. 17. ad fin.  
 pheta accurate depingit, & invicem confert, uti Cap. III. Ibi egre- Conf. Esa.  
 giam habes cum primis v. 24. factam mutati habitus collationem. XLVII. 1. 5.  
 7-9. collatis v.

## APHOR. VI.

Quo vero auditor ad propositum ob-  
 jectum magis attendat, & de eo altius medite-  
 tur, nunc graviore ad audiendum præmittit  
 excitationes, nunc thema severius inculcat,  
 varioque modo repetitum sistit.

Nam cum diutius objectum ab intellectu voluntati proponi-  
 tur, & ipse intellectus intimus & cum mora id speculatur, magis  
 magisque voluntas allicitur, & sanguinis Spirituumque animalium  
 motus citius promovetur. Id quod in eo, qui diutius injuri-  
 am illatam mente volvit, perspicuum est, quo enim magis de ea  
 cogitat, eo magis magisque etiam accenditur, furoreque æstare in-  
 cipit, de quo paulo proxius discribit Huartes. Hæc igitur animi  
 attentio mentisque meditatio omni modo est procuranda. Ean-  
 dem ob causam dicendis Propheta sæpius graviore præmittit exci-  
 tandi formulas, ut sit statim Cap. I. Audite cœli, & auscultate terra,  
 ad quem locum inferius quedam erunt monenda. Ita Esa. XXVIII.  
 auditores suos Propheta excitat. Non solum autem excitat eos,  
 sed etiam thema proponendum altius inculcat, multumque sæpe  
 repetit, uti sit Cap. LIV. Canta, sterilis, persona cantu & júbila v. 1.  
 quem ternarium eleganter vertit Paulus Gal. IV. ἐν φωνῇ ὄντι & ἑ-  
 ξου καὶ βόνοσιν. Et Esa. LXV. lætitiā in piis ob promissam felici-  
 tatem excitaturus nunc per dulce epulum, nunc per plausus lætos v. 27.  
 rem exprimit graviterque inculcat, quo simul facit sæpius & non v. 13. 14.  
 absque causâ repetita vox מְשִׁיבִים Conf. Es. XLIX. v. 12, 20, 27.

APHOR.

## APHOR. V.

Porro, ut affectus primarius facilius obtineatur, illos, qui cum eo conjuncti sunt, in auxilium vocat, & sensim sensimque vires ei addit, ut animi facilius expugnentur.

L. II. c. I.

Monet citatus sæpius de la Chambre, vix inveniri affectum, qui non aliquem, aut plures, aut antecedentes, aut comitantes affectus teneat. Hinc si ille affectus, quem superiorem esse cupis, expugnari difficilius videtur, aut si negotium tractandum est mollior, mens ita quasi per insidias erit debellanda. Ita e. g. qui irascitur, ob infamiam sibi aspersam, penes eum pudor quoque locum non potest non obtinere, quodsi adsint media eam removendi, spes simul conjuncta erit, & e contrario, si mala ex læsione famæ proventura adspicit, tristitia aut metus simul oritur. Si hos igitur affectus quis in eo aggrediatur & obtineat, iram quoque simul inflammabit, ignesque animo injiciet. Idem in I. statim Esaiæ Cap. quod sane maxime παθητικόν est, & quod vel solum peculiarem mereri laborem videtur, observatum reperies. Objurgandi erant impii, terrendique annuntiatione meritarum pœnarum. Primum igitur videt, hic aptissime pudorem ob commissæ scelera illis esse incutiendum. Quamobrem ut rubore suffundantur, in con-

vid. de voce  
 773 Bibli-  
 andr. Delic.  
 Ebræo Ho-  
 miletic.  
 die XI. Mus  
 fe rtigung-  
 p. 695.  
 vid. Eduard.  
 Leib. l.c. sub  
 hac voce.  
 v. 1.  
 Esa. I. 4. f.

spectu cœli & terræ, beneficia a Deo collata, & maleficia ab ipsis perpetrata eis ante oculos ponuntur. De quibus enim DEUS dixerat בְּנִי אֲדַרְשֶׁנּוּ / de iis mox subjicitur וְהָיָה / & illi ipsi, quos ita præ aliis extuli gentibus, illi, in quam, בְּשֵׁעַר / abalienarunt se retrorsum, uti reddit Schmidius, vel ut Lutherus optime: Sie sind von mir abgefallen / ranquam subditi rebelles & infideles, conf. 2 Reg. I. Ita, si verba sequentia adhuc addas, pudori ciendo primum studet. Quo autem pœnæ certioris & magis propinquæ videantur, hincque metus citius oriatur, iram quoque divinam copiosius ipsis exponit.

APHOR.

## APHOR. VIII.

Quodsi mens affectu vehementius sit quasi confundenda, contrarii quoque affectus interdum advocantur, varieque miscentur.

Sunt enim affectus miscendi, ut dolorem leta interdum precedant & vice versa. Nam Barbara est Musica, chorda si semper eadem oberratur, ut loquitur Bohuslaus Balbinus. Interdum affectus aliquis ita animo est inculcandus, ut vehementius pungat, hinc fit, ut vel affectu molliori prius leniatur, deinde acutiori subnexo magis dolore afficiatur, vel vice versa. Sapius quoque nimis duri sunt animi, ut inde operanda sit, ut omnibus modis aliquis motus in illis producat. Sicuti igitur secundum monita precedentis Aphor. per insidias quasi quandoque est incedendum, ita hic modus emissioni omnium copiarum in bellis comparari potest. Contrarios ejusmodi affectus subinde a Propheta moveri gernas. Quodsi examines modo allegatum Cap. I. ubi totius capituli Scopus erat, Judaeos ad seriam excitare penitentiam, hinc & iram & metum in iis accendere cupit, simulque & iram & misericordiam divinam proponit. Evolvi potest Varenius, qui iram DEI Cap. I. propositam e textu studiose eruit, ostenditque, quomodo illa v. 10. 11. ut accensa, v. 13. 14. ut magis magisque crescens, tandemque v. 15. quasi plenius effusa depingatur.

P. I. Quæst. 24 P. 53.

v. 4. ff.  
v. 19. 20. 21.  
v. 26. ff.  
conf. C. XL.  
III. 14. ff.  
cum primis a  
versu 22.

## APHOR. IX.

Ut, quod antecedens docebat Aphorismus, varii pluresque affectus misceri possint, non raro affectum aliquem DEI *divinam a dōc* ipsi tributum, vel aliorum graphice proponit, & quæ vel interne vel externe, dum affectus adest, occurrere solent, accurate exponit.

C

quam-

Quamquam proprie affectus in Scra. S. contentos eruere ad Exegetam pertineat, & Oratori Sacro stricte sic dicto non conveniat, hic tamen affectus ope exegeteos erutos vivide aliis exponere debet. Sic Propheta iram divinam adversus Babylonios Cap. XLVII. egregie describit. Obtinet autem hic illud, quod antea etiam monicum fuit, objectum scilicet causasque affectus meditatione studiosa in nostro volvi debere animo, ut imaginando illum ipsum affectum obtineamus. Porro quoque ea omnia, quæ dum affectum patimur, intra nos sentimus, quæque ostendunt se extra nos, ut sunt certa signa affectuum, quæ vel in toto vultu, vel tantum in oculis, ore aut toto corpore apparent, observari de-

P. II. Art. 112. ff. l. c. vid. de voce **CCC** Geier Ovidius Poëtica ita descripsit:

*Sic mea perpetuis liquefunt pectora curis,  
Igmbus admotis ut nova cera liquet.*

in Psalm. XXII. 15. L. I. de Pon. Eleg. 2.

Habes insuper dolores, cruciatus stuporemque alterius ad alterum. Habes vultum colore affectum prodentem, quem indicant verba פני להרים / i. e. facies flammaram, ubi quidem nimis longe petita est explicatio Jesuitæ Forerii, cum dicit, eos, qui

Bibl. Crit. Anglic. T. IV. Annot. ad Esai.

*metu anguntur, si accedam inedia & vigilia, macilentiores factos nigrescere & exsiccari, velut carnes, quæ ad ignem suspenduntur, exsiccanda.* Cum potius ob ruborem pudoremque ex sceleribus commissis, quorum memoria recurrit, suffusum, metumque & pavorem summum admixtum hæc ipsis tribuantur facies, quo modo con-

Rethor. 5. Tr. I. Cap. 10.

venientius rem explicat Glassius. Non enim semper pallemus metu, sed si aliorum affectuum confusio accedat, rubere quoque & ardere quasi multorum facies videmus, quod ostendit quoque Anton, le Grand. Tandem remissa & languentes adduntur manus, ut vix excellentius adeo trepidatio & formido Babyloniorum exprimi potuisset.

in Histot. natural. P. IX. Art. 9. n. 4. v. 7.

## APHOR. X.

Quo melius affectus insinuetur, passiones & inclinationes hominum ita observat,

ut

ut, ubi dominans in genere deprehenditur, ei imprimis affectus accommodetur, sin vero ob mixtam auditorum turbam non una eademque in omnibus sit passio, singulorum inclinationi per admixta convenientia argumenta consulat.

§. 1. Quod enim monet Abbas Breteviliius, vehementiam de eloquen-  
non semper esse orationi addendam, sed mollius quoque interdum via cathedr.  
incedendum esse, illud Oratori utique non negligendum est. Ita & forens.  
si quem in omnibus suo consulere intelligimus honori, citius affe- L. IV.  
ctus sequetur, si res inculcanda ita proponatur, ut famæ ac splendori inde quid accrescere credamus. Si igitur res est oratori vel cum uno tantum, vel cum pluribus, in quibus tamen eadem passio dominans esse videtur, negotium non ita difficile erit. Quod si autem plures, quorum diversa sunt studia, occurrant, non una quoque incedendum erit via. Quamobrem inspersis occulte argumentis, quorum alia honorem, alia delicias, alia divitias ostendunt, singulorum passioni consulendum erit, ne dicas forsitan alias, quæ movent hunc, alium vero vix tangunt.

§. 2. Evolvamus Prophetam in superbiam muliebrem im- C. III. v. 16.  
petuose invehentem prædictione vilioris status. Nihil enim magis fastuosis mentibus dolorem afferre poterat, quam si abjecta & turpis ejusmodi conditionis mutatio ipsis annunciaretur. Simili modo cum Babylonis Cap. XLVII. procedit. Plerumque autem non unius ejusdemq; generis sunt auditores, hinc objectum, quod antea monuimus, ut splendidum, ut gratum, ut commodum proficuumque est proponendum. Neglectum hoc non videas C. add. C. LXV;  
XLIX. cumprimis. Erat lætitia, descriptione fructus Evangelii & amplitudinis Regni Christi, piis inspiranda, hinc quæ versu 7. v. Calovius  
dicuntur nec non versu 18. & 21. egregie Ecclesiæ ornamentum in Bibl. illu-  
indicant, cum etiam Reges ut ipsius curatores imo & adoratores strar. de for-

toro dicuntur capite, facile promittunt, nisi speciatim, referre quis huc velit v. 17. ubi Lutherus cum multis, forsitan Græcos, qui habent *כי ταχὺ δ. μωδομ. θήσθ.* secutus, verba Hebr. ita reddidit: *Deine Baumeister werden essen* cum tamen in textu non sit *אכלו* sed potius *אכלו* sensu non plane eodem, quod annotat quoque Varenius.

## APHOR. XI.

Ut sedentur apte affectus ii, qui ex animis sunt evellendi, nunc objectum aliter dēteribit per circumstantias alias & contraria argumenta, ac affectus id postulat, nunc meditationem mentis avertit ad objecta aut diversorum aut contrariorum affectuum.

Possent Aphorismi generaliores aliquor affectuum sedationem concernentes hic subnecti, sed cum teperete ea quæ ex antea dictis ad hanc quoque materiam accommodari possunt, aut iusto prolixius agere nolimus, potissima unico & hujus capituli ultimo inclusimus Aphorismo. Quod autem in Exegesi Aph. V. motum fuit, voluntatem per objectum, ab intellectu, vel ut bonum, vel ut malum representatum incitari, moveri, stecti, illud hic quoque denuo esse inculcandum. Quamobrem cum objectum hoc voluntati hoc modo oblatum ita eam afficere possit, ut inde affectus oriatur, haud difficulter sequitur, objectum plane aliter quam quidem apparuit, cum affectum eliceret, esse depingendum, si isti voluntatis motus cessare debent. Multum igitur ad demendum timorem tristitiamque non levent in piis, qui ob calamitates multas Ecclesie acerbissime iratum concipiebant Deum, conducebat, ipsis ostendere, Deum adhuc esse ipsius Deum, adiutorem, confortatorem. Ita non parum faciebat ad adimendam vanam in Ægypti auxiliis confidentiam, ea longe aliter describere, quam quidem esse credebantur. Prodest quoque immixtione affectuum aliorum suppressere affectum; ut cogitando aliena avertatur mentis consideratio ab objecto affectu.

Es. xlii, 8. 9.  
10.  
adde Esa.  
xxxv, 3. 4.  
Es. xxxi, 1.  
2. 3.

affectus sedandi, id quod per diversionem affectum debellare Genz. de pas. c. v.  
 ken vocat. Ejusmodi quid videri potest C. XLIV. ubi scopus capi v. 6. 22.  
 tis indicatur verbis: **וְאַתָּה לֹא תִירָא** ne timeas. Qui metus ut sedetur v. 2.  
 omnipotentia & omniscientia divina, mox idolorum vanitas vers. v. 6. 7. 8.  
 sequentibus & ulterius quoque Misericordia divina in delendis pec-  
 catis conspicua menti obsecit consideranda. Quin imo saepius ab v. 22.  
 affectu uno mens deducitur ad affectum plane contrarium, quæ so-  
 bric intelligi debent. Cartesius hoc generale affectuum remedi- v. III. de  
 um dicit, idque fieri per revulsionem Genzken asserit. Referrī passion. sub  
 huc potest C. X. a v. 28. ad v. 32. Confirmandi scilicet erant cives P. I. Gen. de  
 Hierosolymitanæ, ne, cum appareret exercitus Sennacherib, plane pass. c. v.  
 abirent animos. Geographice igitur primum adventus, furor  
 dein ejus describitur. Nam ita versus 32. optime redditur: adhuc  
 ipso die, quo in Nob consistendum, agitabit manum suam ad  
 montem sive Zionis; & sic illud Emphaticum non est otiosum,  
 monente Ludovico de Dieu. Hac omnia innotum magis augere in Critic. 8  
 videbantur, sed in versibus sequentibus prædicta sub figuris pulcher- adde Varc-  
 rimis hostium clade animus inflatur vehementius. nium,

## CAPUT III.

## APHOR. I.

**Eum, cum in affectu versatur Propheta, ad-  
 hibet stylum, qui affectui conveniens videtur.**

Monetur hoc sæpe ab artis Oratoriarum Doctoribus, Cum enitè na-  
 turaliter affectus in ea nos prorumpere verba cogat, quæ affectui hu-  
 ic exprimendo conveniunt, ita ut lætus non nisi læta in suis spiritet  
 sermonibus, tristis tristis; hinc Orator etiam verba sua ita debet  
 componere ut affectus sequantur naturam. Cavendum igitur, ne  
 circumscripte aut nimis artificiose hic loquamur, quia affectus solent  
 esse abrupti & ita omnia construi debent, ut quasi in ipsa oratione  
 modo effundi videantur. Vides hinc Prophetam nostrum in ma-  
 teria grata de flore liliorum, gloria Libani, decore Saronis, fontibus  
 amœnis jubilisque, in materia tristi de terræ motibus, obscuratione  
 Luna & Stellarum, feris bestiis loqui. Inde crebriores fortiores.

v. 2. que figuræ illæ. Qualis Pathetica illa c. I. Apostrophe. Putat quidem Jesuita Foretius per cælum & terram incolas tantum orbis intelligi, & nihil aliud esse, quam sicuti alibi dicitur: Audite hoc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem; sed magis affectum exprimit Varenius, dum per **☩** quicquid est testium cælestium, & quicquid hoc vocabulo præter Jehovam significatur, per **☩** quicquid præter Israellem creaturarum inferiorum est, non exclusis aliis nationibus nec brutis, nec ipsa terra, intelligit. Deus itaque ipse tanquam Actor, Israel ut reus, spectantibus creaturis omnibus producit. Ita enim diserte terra ad audiendum excitata a suis distinguitur incolis, & ipse Foretius alibi non negat, insensibilia corpora a Prophetis in magnis rebus interdum compellari voce, Patheticam quoque orationem, figurisque validis permixtam legere potes C. XLV. Et quis omnes vel Allegoricas vel Metaphoricas vel Ironicas locutiones, tot exclamations, tot detestationes præter necessitatem colligeret? Istud tamen notandum sedulo hic est, non ita oratione imprudenter esse assurgendum, ut negligatur iudicium accuratius. Quis enim non rideret insulam illam concionem, quam se cum aliis audivisse Balduinus dicit, in qua aliquis Christum appellavit Duc de Jerusalem, duodecim Apostolos Ambasiatores?

Deut. IV, 26. xxx, 19. xxxi, 28.

Es. xxxiv, I. ad Es. xl II, 23. Conf. Glaff. in Rhet. S.

Brev. Infit. Ministr. Eccl.

## APHOR. II.

Hinc etiam, quo ipsius dicentis affectus melius pateat, mox humana blandaque, mox severiori & acerbiori compellatione utitur.

Hoc rursus ii agunt, qui naturam affectus accuratius sequi volunt. Vide Es. XLI. ubi Sebastianus Schmidius cum versione vulgata pro **☩** legit **☩** / & transtulit: moribundi Israelis, Lutherus ad affectum misericordiae accomodatissime: *Zhr armer Hauffe Israels* v. de voce **☩** Leigh in Crit. S. V. T. De attributo nomine Jeschurun vide, quæ sane jucunda habet Brentius in Comment, ad Es. XLIV. Maximam ita iram indicant verba, Esaiæ I. Audite verbum Jehovah, Principes Sodomæ, percipe legem Dei, popule Gomorrhæ. Id quod certe in auribus eorum non aliter sonuit, quam si nos vocaremus Principes & plebem Christi.

adde Carpz. Quas. Predigten P. II. P. 313. v. 10.



Christianorum Ethnicos aut Turcas aut Tartaros, quæ Verba sunt Brentii in Commentariò. Adde Ef. XXVIII, 14. Ll. 7. aliaque loca plura.

## APHOR. III.

Si pinguntur contrarii affectus aut status contrarius describitur, verba quoque contraria sibi in vicem apte respondentia adhibet.

Ita Cap. XXXIV, ubi hostibus Ecclesie summa annuntiantur mala, cruenta depinguntur prælia, flumina in picem conversa, spinæ, vepreta, fera animalia immiscuntur. Econtrario autem in sequenti Capite XXXV, ubi status Ecclesie N. T. efflorescentis describitur, campi amœni, rivorum fluviorumque & bestiarum ejectionis mentio fit. Hæc omnia non obiter apicenda, sed ab Oratore sacro, si simile negotium tractandum sit, imitatione sedula in usum vertenda sunt, ad quam imitationem styli Bibliici sæpius hortatur Hülsemannus in Methodo concionandi.

## APHOR. IV.

Prout requirit affectus, ita construit orationem, ut facile ex ipso orationis nexu spiritusque intelligatur, vocem a Propheta nunc fortius, nunc submissius, nunc tardius, nunc celerius prolatam fuisse. Quin & non parum credibile est, adhibitos fuisse ab ipso convenientes gestus.

§. r. Prius facile observant qui accentus rationem non negligunt, quippe qui affectum ita sæpius exponunt, ut etiam de pronuntiatione non levis conjectura formari possit. Refer hinc quæ habet Starckius, in præfatione Luci Accentuationis præmissa, nec non Hermannus von der Hardt, in Dissertationcula de accentuatione. Inter alia exempla eminet quoque illud quod Esaiæ Cap. I, 7. legitur.

Magnam

Præfixa est  
Andree  
Reimbecii  
doctrinæ de  
Accentibus  
Ebraeorum.

Magnam enim terræ Vastationem altius considerandam tradere vult Propheta hinc crebriores distinctivi illi *in* proxime se subsequentes tardam pronunciationem inveniunt istumque sensum gravissimum progignunt; terram, & quidem non alienam, sed vestram in quam tot introducti estis miraculis, vobis posterisque vestris donatam vobis conspicientibus nec avertere eadem valentibus alieni, hostes, vobis exosi comedent. Confer, quæ ex accentuatione ad versum 9, annotat Varenius.

§. 2. Sicuti autem ab Oratore nostro pronunciationem convenientem neglectam non fuisse constat, ita etiam certe non improbabile est, eum gestu quoque decenti fuisse usum, id quod in scriptoribus sacris etiam attendendum est. Sæpius enim, nisi de gestu cogites, locus apte intelligi non potest. Quo ab interpretibus refertur illud, 1. Reg. XXII & jam citata verba Esaie I, 7. A Lutero etiam huc trahitur Esaie LI, 6. Licet Glasius observet illud *ΠΡΟΣ* a multis *similiter* reddi. Vide hic Dannhauerum in Hermenevt. Sacr. Ipsam enim & pronunciationis & gestuum moderationem ad affectus movendos vel sedandos mulem facere vel inde constat, quia 1) Oratores rerum pondere destituti sæpius solo gestu plus valent, quam Oratores optimi, quibus externa, uti vocantur, desunt, 2) Quia sæpius orationes auditæ placent, lectæ displicent, & 3) e contrario sæpius scriptæ nobis arrident, quæ minus nos delectant auditæ. Hoc scilicet pronunciationis & gestui affectum adjuvanti, aut ei contrarianti, est adscribendum. Cæterum notemus hic illud Apostoli: omnia probate, optimum tenete. Nam lingua, non manu verbum feritur. Nil igitur affectatum hic sit, nil coactum, sed omnia sint naturalia, facilia, libera. Deo autem, quicquid effici potest, tantum tribuatur, cuius gloria & honor actionum omnium nostrarum ultimus debet

esse

FINIS,

v. Lutherus  
ad c. 37. Gen.

v. 13. 14. 15,  
in Glosa  
marginali  
Gr. S. L. 137.  
Tr. V. Com.  
XXIX, in not.  
Huart. Scrup.  
ing. C. XIII.  
P. 34. Fran-  
ckius in ma-  
nuduæ, ad  
lect. Ser. S.  
Hod. J. Bre-  
tevill, L. V.  
207.

g. Theff, v. 21.

99 A 6989


ULB Halle 3  
002 824 795



Sb,

Zehro ✓







Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

27

A. & Ω.  
APHORISMOS ORATORIOS

EX

# PATHOLOGIA ESAIANA

GENERALES

PERMISSU INCLYTÆ FACULTATIS PHI-  
LOSOPHICÆ LIPSIENSIS

*d. XXI. Maji Anni MDCCXI.*

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTENT

*P R Æ S E S*

M. CHRISTIANUS HENRICUS  
SCHREY

ET

RESPONDENS

JOHANNES GOTTFREDUS HERING,

Dresdensis, SS. Theologiæ Studiofi.

L I P S I Æ,

Typis BRANDENBURGERIANIS.

